

(26)

Cum praecepto Divino mandatum sit omnibus quibus animarum cura comissa
est oves suas agnoscere, regere, verbisq; Divini praedicatione, sacramentorum admini-
stratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pro his sacrificium offerre,
pauperum memores esse, eorumq; praecipuam curam gerere: qua nequaquam ab his pra-
stari, et impleri possunt qui gregi suo non invigilant, neq; assistunt, sed mercenarios
more deserunt. Ideo, ne ea quae hae de re sancte, et utiliter iam antea a fe: re:
Paulo in sancita fuerunt in prauos, et alienos sensus trahantur, declarat s. syno-
dus omnes Patriarchalibus, Primitiualibus, Metropolitanis, ac Cathedralibus Ecclyis
quibuscumq; praefectis obligari ad personalem in sua ecc: uel diocesi residentiam
ubi propriam habitationis sedem constituere teneantur, ibiq; sibi Diuinitus in-
iuncto officio defungi.

<sup>militat
oia</sup> Verum quoniam charitas cui militantur, et necessitas cui cedunt instituta, et pra-
cepta omnia, amplius q; tribus mensibus aliquos abesse nonnunquam postulant, et saepe
debitae in Christo obedientiae munus, instans, et evidens utilitas Ecclesiae, et Rei P:
idem exigunt: decernit eadem s. synodus has legitime absentiae causas a B. mo Rom.
Pontifice, aut a Metropolitano, uel eo absente a Suffraganeo Episcopo antiquiori resi-
dente in scriptis esse approbandas, quae et recitanda erunt in concilijs Provincia-
libus ut illie intelligantur, ac iudicentur nisi cum absentia incidit propter
aliquod publicum officium praelaturis adiunctum. cuius quoniam causa sunt no-
toriae, et interdum repentinae, ne quidem significare eas Metropolitano necesse erit
sicuti nec alias quae adeo erunt manifesta, ut nullis calumnijs pateant: ad illum
tamen cum consilio Provinciali spectabit uidere si quis eo iure abutatur et
proenis Canonicis errantem subycere. Interim meminerint discessuri ita diocesi

sua providendum, ut ex ipsorum absentia nullum damnum accipiat. Illud
vero trimestre in anno siue continuum, siue interruptum absentia spatium
sancta synodus vult accipi aequa ex causa, et absq; ullo gregis derri-
mento, quod an ita sit absedentium conscientia arbitrio relinquit,
quam sperat religiosam, et timoratum fore cum Deo corda pateant
cuius opus non fraudulentè agere suo periculo tenentur. eos dem intra
admonet ne per trimestre illius temporis spacium sanctissimus Domini
Adventus, Quadragesima, et Pentecostes diebus, quibus respici-
maximè, et in Domino gaudere Pastoris presentia oves debent
ipsi ab Ecclesia sua Cathedrali abesse referantur. Si quis aut (quod
minimè futurum credendum est) præter huius Decreti formam abfuerit
Statuit s. synodus præter alios Canones aduersus non residentes sub
Paulo. iij. renouatos, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum
proventu fructuum pro rata temporis absentia priuari, nec tuta consen-
sentia, alia etiam declaratione non sequuta illos sibi decimere posse; sedi
teneri, aut ipso cessante superiorem Ecclesiasticum illos fabrica Ecclesie
si indiquerit, ac pauperibus loci erogare, prohibita quacumq; conuentione
ex qua prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur. qua in
re non solum Episcopi, sed et omnium superiorum, quorum erit his
de rebus cognoscere conscientias oneratas esse vult, iudicariq; a Conc.
Provinciali si deliquerint, et irritam omnem conuentionem declarare
Eadem de Curatis inferioribus, et alijs quibuscumq; qui beneficium aliquod
Ecclesiasticum curam animarum habens obtinent s. synodus declarat
et decernit: ita tamen ut quandocumq; eos abesse contigerit vicarium
idoneum ab ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione
relinquant, discedendiq; licentiam ultra bimestre tempus ab eodem ordinario

86

scriptis, gratisq; obtemant. quod si per edictum citati, etiam non personaliter con-
tumaces fuerint, licere uult Ordinarijs per censuras ecclesiasticas, et subtractionem
fructuum pro rata temporis absentiae, alijsq; iuris remedijs etiam usq; ad priuationem
compellere. nec executionem hanc quolibet privilegio, licentia, familiaritate, exemp-
tione, pactone, et Statuto etiam immemorabili, et iuramento confirmato siue appella-
tione aut inhibitione, etiam in Romana curia uel uigore Eugeniana constitutionis
suspendi posse

Postremo tam decretum illud sub Paulo III. In hoc ipsum singulis annis non solum
in Rom. cur. per custodem Cancellariae Apostolicae sub pena excommunicationis
in prima Cancellaria mense Januarij publicari, sed etiam et in Concilijs Provincia-
libus, et Episcopali Synodo quotannis ut metropolitanus idem fieri curet sancta
Synodus praecipit. Cupit enim quae adeo ex pastorum munere, animarumq; salute
sunt frequentis omnium auribus, mentibusq; infigi ut in posterum Deo iuuante
nulla temporum iniuria, aut hominum oblivione, aut desuetudine aboleantur

Videndum de sacerdotibus Curatis quae alere non possunt residentibus

Ut etiam Ecclesiarum status, ubi sacra Deo officia ministrantur ex dignitate conser-
uetur possint Episcopi tanq; Apostolicae sedis Legati iuxta formam inuis sine tamen
prauidicio obtinentium facere uniones perpetuas quarumcumq; Ecclesiarum Paro-
chialium, et Baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum uel non curatorum
cum Curatis, propter earum paupertatem, et in ceteris casibus a iure permistis
et iam si dictae Ecclesiae, uel beneficia essent generaliter, uel specialiter reservata
aut qualitercumq; affecta, quae uniones etiam non possunt reuocari, neq; quoquo modo
infringi uigore cuiuscumq; provisionis, etiam ex causa resignationis, aut deroga-
tionis, aut suspensionis

[The page contains several lines of extremely faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the document. The text is mirrored and difficult to decipher.]